



# The Holy See

---

PAULUS PP. VI

*EPISTULA AD ANICETUM FERNÁNDEZ  
ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM PRAEPOSITUM GENERALEM OB CELEBRANDA  
SOLLEMNIA,  
OCTAVO VOLVENTE SAECULO,  
EX QUO DOMINICUS DE GUZMÁN,  
RELIGIOSAE ILLIUS FAMILIAE CONDITOR,  
ORTUS EST*

CUM IN EO EST

*Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem,*

Cum in eo est, ut Fratres Praedicatores octavum laetantes celebrent saeculum revolutum a S. Dominici ortu, verba Nos iuvat iterare, quibus Gregorius IX, Decessor Noster, significavit, quid de illo, xx fere annis ab eius morte exactis, sentiret: «Novi virum totius apostolicae regulae sectatorem, quem et in caelis non est ambiguum ipsorum gloriae copulatum» (IORDAN. DE SAXONIA, *Libell. de initiis Ordinis; Mon. Ord. Fr. Praed.*, 16, p. 85, n. 125). Hac profecto sententia vita patris auctorisque Vestri atque forma et notio Ordinis ab eo conditi paucis comprehenduntur. Nonne hinc etiam lumen quoddam provide effunditur, haec ipsa tempora nostra collustrans. Saeculo enim XIII, quemadmodum et nunc accidit, maxime fervebat motus quidam cogitationis florebantque studia doctrinae necnon sociali contentione homines aestuabant. Multus sermo fiebat de novo rerum ordine instaurando, qui reapse effectus est, singularibus quibusdam mutationibus in humanam consortionem inductis.

S. Dominicus, qua erat mente perspicaci, probe intellexit in novo illo, qui nasciturus esset, ordine, fore ut fortuna christianae religionis magnam partem mentis agitatione contineretur. Praecelsa quoque apostolica ratio vivendi animum perculit eius, ex qua scilicet homines essent evangelizandi verbo Dei annuntiando et huius ipsius testimonium dandum vitae instituto, quod ad

exemplum duodecim, Apostolorum proxime conformaretur. Per novem igitur annos in oppidis Fano Iovis et Prulio beatissimus parens vester hoc consilium in animo volvit, id est veluti germen, quod vos estis, paravit, preces faciendo, voluntariis se affligendo castigationibus, disputationes periculi plenas cum haereticis habendo, gaudium et dolorem experiendo peregrinationum, quas indefesse suscepit. Affirmari autem licet Ordinem vestrum ab eo in lucem et conspectum prolatum esse iam ex integro constitutum ac quidem spatio sex annorum, ardore mentis eius insignium; siquidem sex anni, qui mortem eius antecedeabant, eidem satis fuerunt, ut primos sibi sociaret sodales ad ineundum hoc vitae institutum, quod sine maioris momenti immutationibus iam tot saecula transegit.

Admiramur sane hunc sacerdotem elati acutique ingenii, qui traditiones inter se diversas ratione prorsus singulari composuit in unumque redegit: contemplationem et actionem, vitam canonicam et sacram praedicationem itinerantium more peragendam, atque ab initio familiam religiosam, quam affettaverat, tali compage disposuit, ut non minus agilis esset quam firma. Magis etiam permovemur misericordia, usque ad anxietatem intolerabilem ducta, qua ille afficiebatur propter miseriam eorum, quorum intellectus carebat veritate. Nonne ad hanc miserationem totum opus eius referebatur? Hic nunc cum maxime fons sit oportet, unde apostolatus vester promanet, haec anima, quae vitam vegetet vestram.

Gemina ergo fidelitas ab unaquaque Provincia vestra et a singulis religiosis, qui eas efficiunt, postulatur: hinc erga formam vitae apostolicam exsequendam in «missione canonica», ab Ecclesia vobis impertita, illinc erga formam vitae apostolicam servandam in communione fraterna, cuius rationes et spiritus per Constitutiones vestras definiuntur.

Vos estis «evangelizationi verbi Dei totaliter deputati»: quibus verbis usus Honorius III, Decessor Noster, primos Fratres Praedicatorum anno MCCXXI Ecclesiae praelatis commendavit (*Mon. Ord. Fr. Praed.*, 16, p. 193). Rectissime ergo asseveratur opera vestra, quocumque modo exhibeantur, fidei inservire debere. Communitates vestrae, per orbem terrarum diffusae, in hoc consonent, quod viri in iis sint congregati, qui ex fide vivunt, de fide recogitant, praedicant fidem.

Graves autem difficultates, quibus credentes hodie premuntur quod attinet sive ad verba, quibus fides exprimitur, sive ad id ipsum, quod illa continetur, deprecant, quemadmodum probe nostis, opus fidem modo certissimo tradendi. Id ergo agite, ut sollertia vere pastoralis in id incumbatis, ad aliorum attendentes animos perturbatos, ad aliorum impatientiam, semper vero contententes, ut fides formetur, provehatur, in profundum agat radices. Memores igitur primigeniae inspirationis et ipsius nominis, quo ornaminis, munus implete praedicatorum, quod nunc etiam magis quam praeteritis temporibus a vobis efflagitur.

Verumtamen nequaquam nulla causa interposita vobis licet oves oblivisci, «quae nondum sunt ex hoc ovili». S. Dominicus hac ipsa re sollicitabatur et angebatur. In Litteris, quas ob Capitulum Generalem Bogotam convocatum ad te dedimus, memoravimus . . . . «vos ab nntus cum Ecclesia universali peculiari modo fuisse coniunctos» (31 Ian., a. 1965); quin immo noveritis ad illos potissimum vos mitti, qui a religione longissime absint; quod vestris quoque Constitutionibus sanxistis. Quocirca Ordo dominicanus sine dubio in se ipsum peccaret, si ab hoc officio missionali

defletteret: hinc non sunt dissocianda altiora studia, praesertim circa rem philosophicam ac theologicam, quae ex Ordinis Vestri instituto vos decet diligentissime exercere, in rectis principiis et orthodoxa fide ut in fundamento innixos. Ad hoc quod attinet, principem et magistrum sequimini S. Thomam Aquinatem, cuius doctrina etiamnum est patrimonium totius Ecclesiae et hominum, qui nunc sunt, mentes salubriter utiliterque potest attingere.

Inconcussa igitur cum Constantia perstate in religiosi convictus proposito, quod «donum divinum» a Domino Ecclesiae datum in Constitutione a verbis *Lumen gentium* incipient (*Lumen gentium*, 43), appellatur — providum enim munus est illi exsequendum — et peculiariter in illa definita forma, quae est vita dominicana, cum vocatione vobis in Ecclesia propria tam arcte coniuncta. Hac enim aetate, qua in rebus theologicis inquirendis ac veritatibus fidei tradendis respectus habeatur oportet novorum elocutionis modorum atque occurrendum est gravissimis discriminibus, in quae tota hominum societas adducitur, animus fortis in cogitationibus suis explicandis atque studium apostolicum, necesse est firmiter excitentur, roborentur, recognoscantur vita communi quae principiis, a conditore Vestro enuntiatis, prorsus inhaereat.

Speciali vero ratione renovatio Ordinis Vestri, quae in Decreto *Perfectae caritatis* accommodatio appellatur (*Perfectae caritatis*, 2), et ad quam perficiendam memoria octavi saeculi expleti ex quo S. Dominicus natus est, vos singulariter provocat, insigniri debet sollicitudine mirabilia eius exempla magis magisque sequendi: scilicet agendi, ut impensa vita liturgica manifesto apud vos appareat Eucharistico Sacrificio vel Officio divino digne celebrando ac studio veritatis revelatae assidue exercendo, quod ad sapidam contemplationem perducatur; ut Apostolicae Sedi fideliter deserviat, vivo eius Magisterio eiusque praeceptionibus et normis adhaerescendo; ut denique salutem animarum ardentem procuretis, vosmet ipso penitus devovendo.

Novimus sane familiam parentis huius Vestri, praeter Fratres clericos et Fratres cooperatores, complecti sanctimoniales, sorores religiosas, sodales institutorum saecularium et consociationum, quas fraternitates appellant, sacerdotum vel laicorum. E quorum numero S. Catharinam Senensem die quarta mensis Octobris, qui proxime recurret, singulari nomine Doctoris Ecclesiae honestabimus, «ut luceat lux eius coram hominibus» (Cfr. *Matth.* 5, 16). Ad hos omnes, qui, pro cuiusque conditione et statu, vestigia S. Dominici persequi sibi proponunt, hasce Litteras volumus pertinere.

In his vero saecularibus sollemnibus unumquemque vestrum peculiari modo Deiparae Virgini committimus. Propter amantem enim pietatem suam dominicani religiosi et religiosae, per hominum aetates, effecti sunt filii et filiae Beatae Mariae Virginis a Rosario. Nos igitur Matris Christi deprecationem imploramus, ut gemina illa fidelitas, de qua exposuimus, conferat ad Regnum Dei in terris instaurandum. Verba autem usurpantes B. Iordani de Saxonia S. Dominici in Ordinis regendi munere successoris, Iesum Christum, Dominum Nostrum, laudamus, quod talem vobis patrem elegit, virum Evangelio nobilem et misericordem, cuius vos «institutio regularis informet et exemplum fulgidae sanctitatis inflammet» (Litt. Encyc. a. 1233; *Archivum Fr. Praed.*, 22, 182-5). Haec dum animum pulsant Nostrum, cunctis Fratribus Praedicatoribus, imprimis tibi, Magistro Generali, et magnae familiae dominicanae Benedictionem Apostolicam, pignus caelestis auxilii ad apostolatam spiritualium fructuum usque feraciorum obeundum, volentes impertimus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXIV mensis Maii, anno MCMLXX, Pontificatus Nostris septimo.*

**PAULUS PP. VI**

---

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana